

Graculus *Ruab.* Ciconia *Storab.*  
 Vespertilio *Fledarmus.* Merops  
*Spebt.* Tum e *Prudentio:* Seria  
*Ernostbaftiu.* Strophium *Houpit-*  
*pant.* Pedicae *Strichin.* Mulctrum  
*Milibchar.* Congeries *Uberquel-*  
*lan.* Inuius *Anuertigi.* Surculus  
*Sintulingi.* Cunulae *Nabule.* Au-  
 rium meatus *Lofunga.* Cariofa  
*Wrmatiga.* Urgebat *Francta.* Fo-  
 rum *Marcat.* Bipennis *Zwifidrigi*  
*fuert.* Eviscerando *Zufleisconto.*  
 Obstinatio *Einstritigi.* Fiscella  
*Churipi.* Lucrum *Scazz.* Struma  
*Chelba.* Mucus *Roz.* Truces *Crim-*  
*nun.* Pefculus *Sloz.* Ninguidus *Si-*  
*neuin.* Eluvies *Uburfuzio.* Crypta  
*Giruft.* Subterranea *Erthus.* Um-  
 bones *Rantbogun.* Haec usque ad  
*fol. 49.* et *Passionem S. Cypriani.*

## CCXCVI.

R. 3167 Codex membraneus lat. Sec.  
 XII—XIV. Folior. 223. f. max.  
 per duas columnas magnifice ex-  
 aratus, minio distinctus, literis ini-  
 tiorum uncialibus artificiofo du-  
 ctuum plexu visendis, et olim Mo-  
 nasterii *Novimontani*, vulgo *Neu-*  
*bergen*, O. Cist. ab *Ottone Hilari*  
*Austr.* et *Styriae Duce* a. 1327.  
 in harum Provinciarum confinio  
 super *Murczam* fl. deducta a Mo-  
 nasterio *S. Crucis in Valle Ne-*  
*morosa* colonia fundati, ut infra li-  
 quebit, complectitur sequentia: I.  
 praetenso folio deciduo e L. II.  
*Paralip. Incipit Praefatio Sancti*  
*Jeronimi Presbyteri In libro Pro-*  
*uerbiorum.* Videlicet illa ad *Chro-*  
*matium* et *Heliodorum:* *Jungat*  
*epistola* &c. Hanc excipiunt illae

duae aliae, prout in Bibliis Glos-  
 fatis: *Tribus nominibus* &c. et:  
*Tres Libros Salomonis* &c. inter  
 quas interceptus est Articulus  
*Glossae* ordinariae de nominibus  
*Parabolarum*, prout in iisdem Bib-  
 liis. Tum Textus III. *Libellorum*  
*Salomonis*, item *Sapientiae* et *Ec-*  
*clesiastici*, quae duo postrema Pro-  
 logos praeferunt, ut in Bibliis jam  
 citatis. Textus more nostro *Capi-*  
*tibus* distinctus est, et ad calcem  
*Orationem Salemonis Regis* habet  
 depromptam e III. *Reg. c. 8.* et  
*Paralip. II. c. 6.* sed non *κατα*  
*λεξι.* Haecenus porro Biblica, ma-  
 nusque Sec. XII.

II. *fol. 50.* sequuntur Historica,  
 Videlicet *Chronicon* ab O. C. us-  
 que ad A. MCCCXCVI. ita ta-  
 men, ut manus Sec. XIII. pertin-  
 gat ad A. MCCXXII. manus ve-  
 ro Sec. XIV. ab A. MCCXLI.  
 pertextat reliqua, et folium *unum*  
 inter utramque manum exciderit.  
 Initium est ejusmodi: *Adam pri-*  
*mus homo ad imaginem dei forma-*  
*tus est in ebron. in paradiso cum*  
*eua septem horis commoratus ob*  
*mandati transgressionem huius mun-*  
*di exilium subiit. — In ierusalem*  
*obiit in loco caluarie sepultus. —*  
*Erat autem adam XXX. cubitorum*  
*altitudinis. Mortuo autem eo ap-*  
*paruit angelus domini ferens ostrum*  
*eiusdem longitudinis. expanditque*  
*illud super eum atque nucleum ue-*  
*titi ligni ori ejus imposuit* &c.  
 Postquam dein nugivendus hic  
 et vineam *Noae*, et oblationem  
*Isaaci*, atque *Jephtae*, et *Manuae*  
 sacrificium, et caedem Sacerdo-  
 tum sub *Jezabele*, et *Abelis* sacri-  
 ficiu,

ficiam in locum *Calvariae* congefiffet, miram fabellam de Cruce Christi e praediſto nucleo orta ingreditur: ſub *Salomone* factam arborem a Regina *Saba*, quae fuiſſet *Sibylla habens pedes anſerinos et oculos lucentes ut ſtelle*, adorata, mox iubente Rege ſuccifa, et in menſam Propoſitionis panum in Templo aptatam, tum poſt varias vices conjeſtam in Piſcinam illam *Probatiam*, demumque ipſo ſupplicii *ts Oeavdes* tempore a *Simone* fabro lignario inde extractam, crucemque efformatam fuiſſe; quae Graeculi cujuſdam ſomnia cenſeo, iis gemina, quae refert *Gretſerus L. I. de S. Cruce c. 4.* Per VI. deinceps notas *Aetates* procedit Narratio, quoque

Codex

*Rex Bohemus Wenczeslaus cum magna multitudine armatorum ungariam intrans et calliditate et pecunia partim cum potentia inſignia ſcilicet gladium et tunicam beati Stephani Regis Ungariae et coronam obtinuit. et antequam ibi negotia ſua terminaret propter que intraverat de ſtabiliendo filii ſui regno ſuper ungaros, Rex Romanorum Albertus miſſis duci auſtriae Rudolfo filio ſuo nuncijs precepit, ut pacis contradictionem Regi Bohemiae demandaret. Quo facto Rex Bohemiae inconfummatiſ negotijs et imperfectis accelerabat exire ungariam, habens tamen regalia &c.*

magis procedit, minus deſipit. Uſque ad A. MCLXXXVI. paſſim inſiſtit Chronico *Gottfridi Viterb.* ut extat T. II. *Scriptt. Rer. Germ. Piſtorii*, ut tamen et ſua addat. Ita ad A. DCCCLXXXI. legas: *Hujus (Caroli Imp.) tempore bonum peſtilentia magna contigit, dum enim cancri cadauera laniando comederent, quadam die univerſi in unum locum congregati inde diſceſſerunt, ita ut nullus eorum poſtea neque viuus neque mortuus inveniri potuiſſet.* Quo magis ab A. MCLXXXVI. progreditur, eo uberior fit in rebus *Auſtriae* et *Styriae*, coinciditque cum Chronico *Clauſtroneoburgensi* edito ab *Hier. Pezio T. I. Scriptt. Rer. Auſtr.* Exemplo fit Annus MCCCIV.

Chronicon Clauſtroneob.

Rex Bohemus Wenczeslaus cum maxima multitudine armatorum Ungariam intrans muneribus et calliditate partim etiam potentia inſignia regni Ungariae hoc eſt gladium et tunicam beati Stephani Regis Ungariae et coronam obtinuit, ubi quamplures ex intempere aeris mortui ſunt. Et antequam ibidem negotia ſua terminaret, propter quae venerat, ut de ſtabiliendo regno filii ſui ſuper Ungaros, Rex Romanorum Albertus miſſis Duci Auſtriae Rudolfo filio ſuo nuntiis praecipit, ut pacis difſidationem ac contradictionem Regi Bohemiae demandaret. Quo facto Rex Bohemiae inconfummatiſ negotijs atque imperfectis prope-

Dubium inde fit, an *Claustroneob.* Annalista nostro, an vero noster illo usus fit. Ille quidem in A. MCCCXLVIII. ficit, noster progreditur, videoque A. MCCCLV. minio subscriptum: *Fr. Otto*, quod illi nomen fuerit. Hunc Annum continuo excipit MCCCXCVI. quem adscribo: *In octava Johannis baptiste Monasterium Nouimontis per ignem in pistrino exortum totaliter est exustum, ventusque ualidus tegulas igne succensus cum impetu ad uillam circumiacentem deferebat, ubi in tantum ignis defecit, quod totam uillam exceptis tribus mansionibus totaliter deuastauit et in cinerem redegit.* Subditur: *Frater Johannes Greczer* (Graecensis Styri) *cenobita.* Ex quo concludo, Chronicon praesens in praedicto Monasterio scriptum et seruum fuisse. Huic et aliud subfragatur. Marginibus nostris Sec. XV. adspersae sunt quaedam Notae, et quidem ad A. MCCCXXVII. *Otho* fundator huius monasterii, et ad A. MCCCXLIX. *Circa festum sancti Martini declinavit pestis ad terminos Noui montis*, id quod in ipso etiam Chronico notatur. Jure igitur illud vocari possit *Novi Montis Chronicon* scriptore *Ottone Cisterciensi*, jungique, posteriore saltem sui parte, Chronicis jam editis mereretur. Commemorabo et alias Notulas. Ad A. MCCCIX. motumque *Viennensium* contra Ducem *Fridericum* inclemen-

re exire parat in *Ungariam* habens tamen regalia &c.

ter adscriptum: *Viennenses semper rebelles.* Ad A. MCCCVI. ubi narrantur de sola *Civitate Viennensi* plusquam XL. Millia expediti in turma sua cum *Ottone* Duce contra Regem *Bohemiae* processisse, observatur: *Nescio, quot hodie mittere possit, dum hec legerem 1521.* Ad A. denique MCCCXLIX. legas: *Anno pestifero illo creuerunt optima Vina sicut anno 1521.*

III. fol. 74. *Incipit Catalogus apostolicorum.* Ductus a B. *Petro* ad *Gelasium* II. five A. 1119. Usque ad *Felicem* IV. notantur etiam *Consulatus*, usque ad *Coelestinum* anni Imperatorum, deinceps anni Domini. Passim edicit *Chronographus*, ubi a *Chronico Eusebii, Hieronymi, et Prosperi, et Caesarii*, nempe *Heisterbacensis*, dissentiat. Pontificibus variis adduntur sua *Instituta.* *Johanna* *Papissa* nulla, sed *Johannes* XII. *Bonifacius* VII. *Benedictus* IX. et *Gregorius* VI. male audiunt. Sec. XIII. scriptum hunc *Catalogum* in *Dioecesi Salisburgensi* e sequentibus statues: *Adrianus* — *dedit pallium Arnoni.* *Pascasius* — *dedit pallium adelramo.* *Valentinus* *dedit pallium Luipramo*, quin ullius alterius aut *Episcopi*, aut *Sedis* mentio fiat.

IV. fol. 77. succedit alter *Catalogus* hanc *Rubricam* praefrens: *Isti regnauerunt in latio et Romana urbe ante consules et imperatores.* Initium ab *Italo, Fano, Satur.*

*Saturno, Pico ad Octavianum Aug.* tum in picturato Schemate columnatim Pontifices et Imperatores eis respondentes absque notatione temporum, nudis solum nominibus designati. Illi desinunt a prima Sec. XIII. manu in *Honorio III.* anno 1227. defuncto, quibus secunda addidit *Gregorium IX. Coelestinum IV. Innocentium IV.* et omissis *Alexandro IV. Urbanum IV.* electum a. 1261. Imperatorum vero postremus est a prima manu *Fridericus II.* cujus obitus ad a. 1250. pertinet.

V. fol. 79. redeunt Biblica initio ducto a *Tobia*, cujus prima duo Folia eleganti calamo Sec. XIV. subpleta sunt usque ad C. V. v. 18. *Ego sum azarias ananie magni filius &c.* Sequitur *Judith, Esther*, et *Esdras*, inter quem et *Nebemiam* haec Rubrica: *Verba neemie filii hechie. Sermones esdre et neemie in unum uolumen coartantur.* Succedunt *Machabaei* praemisso *Libro I.* conspectu *Capitulum LXI. Libro II. Capitulum LV.* quorum XXXVII. habetur *Locus de Oratione pro Defunctis.* In voce postrema *Libri consummatus* placuit ludere Scriptori; scripsit enim *cpn/xmmbtxs* adhibita pro quavis vocali ipsam proxime sequente consona. Partes porro hae Biblicae ad Sec. XIII. pertinentes et consuetis Prologis munitae, et maximis Initiorum literis decoratae sunt.

VI. fol. 146. *Incipit liber de ciuitatibus. et de uicis transmari- nis.* Excerptum esse vel ipse ingressus docet: *Uertamus eia sti-*

*lum nostrum sumentes initium a chebron quod est ebron. Hebron metropolis olim philistinorum et habitaculum gigantium in tribu iuda ciuitas sacerdotalis et fugitiuorum. Ibi deus patrem nostrum plasmauit adam et inspirauit. Hebron kariatbarbe dicitur quod sarracenice sonat ciuitas &c.* Praecipuus hujus Topographiae scopus est, indicare loca, in quibus aliquid seu V. seu N. T. tempore peculiare gestum est. Quando conscripta fit, primum inde liquet, quod ait: *Ante Thyrum lapis ille marmoreus baut modicus super quem sedit ihe- sus manens illesus a tempore christi usque ad expulsionem gentium ab urbe, sed defraudatus a francis nec non a ueneticis.* Item, quod Latinos *Hierosolymae Patriarchas* enumerans sistit in *Fulcherio*, qui a. 1157. diem clausit. Itaque Scriptor nec *Joh. de Mandavilla*, nec *Brocardus*, nec *Ludolphus de Suchen* est, neque etiam aut *Jacobus de Vitriaco*, aut *Vincentius Bellovac.* quos inspexi. Unde *avendorov* habeo, dum certiora docear. *Librarii manus est Sec. XIII.*

VII. fol. 152. sequitur *Collectio Canonica e Conciliis, Decretis et Epistolis Pontificum, Patrumque Dictis*, quorum minimi natu *Haimo* et *Rabanus*, constans Rubricis, seu Capitulis LXXXVI. ab eleganti manu Sec. XII. Primum *De Etatibus hominum* ita infit: *Gradus etatis sex sunt. Infantia. Puericia. Adolescentia. Iuuentus. Gravitas. Senectus. Infantia tendit usque ad VII. annum. Puericia ad XIII. &c. Capitulum II.*

II. est de *Etatibus mundi*, tum de Baptismo, de Chrismate, de Eucharistia, Ecclesiis, Libris Bibliis, Jejunio praecipitur. Multa horum Capitulorum habentur etiam in *Reginone*, *Burchardo* et *Ivone* dispersa, sed Collectio nostra nullius horum Operum pars est. Dabo Capitulum e fol. 156. p. 2. quod apud nullum praedictorum ita legitur. *Quot modis fiat sacrilegium. Johannes VIII. in libro gotice legis. Sacrilegium enim committitur, si quis infregerit ecclesiam, uel XXX. ecclesiasticos passus, qui in circuitu ecclesie fuerint, vel in domibus, quae infra predictos passus fuerint inde diripiendo vel auferendo. seu qui iniuriam uel ablationem rerum intulerit clericis uel monachis arma non ferentibus, siue deo deuotis omnibus ecclesiasticis personis. Non enim capelle, quae infra ambitum murorum castellarum sunt, mittuntur uel ponuntur in hac obseruatione. Similiter etiam sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, uel non sacrum de sacro, siue sacrum de non sacro, (non uero) non sacrum de non sacro, quia quod (l. id) non potest computari in crimine sacrilegii, sed mundanarum legum censura debet emendari, uel secundum morem patrie. quae postrema in Tractatu inferius N. X. adferendo melius sic leguntur: Non sacrum de non sacro, quia non potest computari in crimine sacrilegii, secundum mundanarum legum censuram debet emendari, uel morem patrie. Nihil de Libro Legis Gotthicae in Actis et Scriptis Jo-*

*bannis VIII. T. XI. Concill. edit. Venet. Coleti. Habentur tamen ibidem col. 213. ejus Epistolae ad Alphonsum III. Regem Hisp. et col. 239. utriusque autoritate celebratum Concilium Ouetense, quod perperam ad a. 900. reposuit P. Art de verifier les Dates, cum Johannes jam a. 882. diem suum obierit. Occasione porro hujus Concilii facile fieri potuit, ut a Pontifice declarationes quorundam locorum Legis Wisigothicae, fortasse L. IV. Tit. V. 6. ubi legitur: Ecclesiam quippe fraudare, sacrilegium esse a Majoribus approbatur, peterentur. Extra dubium rem ponit Albericus trium Fontium Monachus in Chronico apud Leibnit. T. II. Access. histor. 4. ubi ad a. 873. de Johanne VIII. Iste scripsit quasdam interpretationes siue decreta super librum Gotthicae legis, sicut inuenitur in libro, qui canones inscribitur. An praesentem Collectionem nostram prae oculis habuerit Albericus, ignoro, sed uide, quod notat Pitheus ad P. II. Decr. Causa 17. Q. 4. 21. p. 282.*

VIII. fol. 158. praemissa temere Expositione *Versus I. Psalmi LXXV.* in qua illud Gen. 49. 10. ita redditur: *Non deficiet princeps de iuda, nec dux de femoribus eius, donec ueniet, quod tibi repromissum est, et contenditur, post clamorem illum: Non habemus regem nisi caesarem! nomen Iudaeae non nisi Ecclesiae Christi competere, eadem Sec. XIII. manu Incipit passio domini secundum Nichodemum. Initium illud, quod in*

in variis Exemplis, et Versionibus apocryphae hujus, et a me non semel relatae Narrationis in calce ponitur: *Factum est in anno nonodecimo tyberii cesaris imperii romanorum &c.* Narratio ipsa incipit: *Igitur Anna et Cayphas et Sobna et dathan. gamaliel et Judas leui neptalim alexander et syrus. et reliqui iudeorum uenerunt ad pilatum &c.* et, si rem, non verba spectes, cum editione *Fabricii Cod. Apocr. N. T.* p. 238. decurrit usque ad hujus §. XXVII. Hujus porro loco inferitur Epistola *Pilati ad Claudium Imp.* prior illa: *Nuper accidit, quod et ipse probavi &c.* quam ad calcem *Nicodemi* p. 298. demum recitat *Fabricius*, et Epistolam, omittis, quae a §. XXVII. apud hunc leguntur, excipit Narratio de *Tiberio* aegroto *Jesum* accersere volente misso *Volusiano*, qui jam a *Pilato* eum in crucem actum inueniens *Veronicam* cum ejus *Icone Romam* adduxit, per quam fanatus Imperator Christianus effectus est. Deducitur haec Fabula usque ad *Neronem* et *Pilato* et *Petro* de *Christi* diuinitate et actis sciscitantem, quae omnia ad *Fabricii* citatum *Codicem* adjungi deberent, et verisimiliter *graeco fonte* ceciderunt.

IX. fol. 167. p. 2. *Traçtatus de coniugio cuius institutio et causa ostenditur.* Multo plura praestat hic *Traçtatus*, quam pollicetur inscriptio; omnes enim paene *Quaestiones*, quae de hoc *Sacramento* usque ad *Sec. XIII. Patrum Dicitis*, *Conciliorum Decretis*, et *Pontificum Responsis* vertebantur,

tangit, non raro etiam *objectio-*nes instruendo et resolvendo. Initium est ejusmodi: *Cum alia Sacramenta post peccatum et propter peccatum sumpserint exordium, matrimonii sacramentum et ante peccatum legi institutum a domino, non tamen ad remedium sed ad officium. Huius autem institutio duplex est. Vna ante peccatum ad officium facta est in paradyso, ut esset thorus immaculatus, et nuptiae honorabiles, ex quibus sine ardore conciperent, sine dolore parent. Altera post peccatum ad remedium facta extra paradysum propter illicitum peccatum deuitandum &c.* Ne longus sim, habes *Petri Lombardi L. IV. Sentent. Distinctiones XXVI. — XLII.* ita tamen, ut quaedam in *Editis*, quaedam in *Codice* aut defint, aut redundant. Ut exemplum dem, deest in *Editis Dist. XXXVI. inter Art. 2 — 3.* sequens *Rubrica: Adrianus papa Eberbardo archiepiscopo iuuuauen. Inter seruos non debent matrimonia ullatenus prohiberi, et si dominis contradicentibus et inuitis contracta fuerint, nulla ratione propter hoc sunt ecclesiastico iudicio dissoluenda, debita tamen consueta officia (et) seruicia non ex hoc minus sunt propriis dominis exhibenda.* Non nisi de *Adriano IV.* et *Eberbardo I.* quaestio esse potest, quorum ille a. 1154—59. hic a. 1147—64. praefuit. Interim *Epistolae*, e qua *Rubrica* nostra fuerit excerpta, nec in *Concill. citt. T. XIII.* nec apud *Hansizium Germ. Sacr. T. II.* ulla mentio. Illam jam a *Petro* *Sententiis* suis

fuis inferi potuisse, neque necessario tardius accessisse probat annus ejus emortualis, quem cum *Eberbardo* communem habuit.

X. fol. 177. p. 2. Incipit *tractatus de sacrilegiis. et immunitatibus eorum. et compositionibus.* Initium: *Regum et Imperatorum seu etiam diuersorum pontificum dicta de immunitate et sacrilegio. et singulorum clericalium graduum compositione. de induciis etiam antequam excommunicentur laicis dandis. iuxta quod in libris diuersorum inuenitur. hic breuiter annotatur.* Capitularibus *Regum Francorum*, et Canonibus per *Reginonem*, *Burhardum* et *Ivonem* sparsis utitur *Compiler* noster mihi ignotus, textu non admodum castigato, subinde tamen lectione varia non improbanda. In Capitulari *Triburiensi* ad petitionem *Episcoporum a. 821. in Theodonis Villa (Diedenbofen, Thionville)* congregatorum dato legitur: de *Episcopo in Wasconia inhoneste et inaudite morti tradito*, ubi *Burhardus* L. VI. c. 5. *Ivo* P. X. c. 134. et *Harzbemius Concill. Germ.* T. II. p. 23. habent *mordridato* a Germ. *Mord*, *mördern*, quod quidem non inusitatum, ut vides apud *Du Cange* in v. *Morth.*

XI. fol. 181. sub Rubrica: *De Introitu*, sequitur alia *Compositio de Ritibus Sacrificii Missae*, et primo quidem *Catechesis: Introitus missae quare dicitur? Eo quia per eum introitur ad officium. Versus quare cantatur? Eo quia per eum reuertitur ad introitum.* &c. Dein *Augustini* locus duplex de offerendo *Sacrificio pro Mortuis* et de *Consecratione*, demum alia *Capita de Missae Officio* e verbis *Alcuini* et *Amalarii* potissimum congesta.

XII. a fol. 184. p. 2. perrexit *sedulus Coenobita* varia congerere e lectione diuersorum, quae ad unum genus reduci nequeunt, auspiciatus a quadam *Symboli apostolici Expositione*, tum *de Arbitrio libero*, *de tribus Vocationibus*, *pro quadruplici Oratione*, &c. item quaedam fabulosa e naturali *Historia*, quaedam *Excerpta ex Operibus Hieronymi, Bedae, Leonis, Augustini, Job. Chrysostomi, Gelasii* *Decretum de recipiendis et non recipiendis in Ecclesia Libris*, ut extat *Burhardi* L. III. c. 220. 21. Praeterire non possum *Bedam*, cujus Rubrica est: *De septem columbe uirtutibus*, et hae quidem his *Verficulis* concluduntur:

*Istis incumbe, sic uiues more columbe:*

*Primum felle care mentis desertor amare.*

*Nil rostro laceres, nullum sermone sagittes.*

*Semina pulchra lege seiungens noxia quaeque.*

*Tu geme, ne cantes. Pro risu prode dolores.*

*Ut videas clarum, sit sessio litus aquarum.*

*Cum nidum sternis, petrarum pone cauernis.*

*Post fructus senos nutri pullos alienos.*

577

## P A T R I S T I C I.

578

Singuli Versus subjecta Prosa allegorica explicantur. Novimus *Bedam* verificem; verum istud Opusculum ne *Caveus* quidem prodit.

Cum ad Versus delapsus sim, accedant: VII. *sententiae philosophorum*:

*Quenam summa boni? Mens, quae sibi conscia recti.*

*Pernicies hominum quae maxima? Solus homo alter.*

*Quis dives? Qui nil cupit. Et quis pauper? Avarus.*

*Quae dos matronis pulcherrima? Vita pudica.*

*Quae casta est? De qua mentiri fama ueretur.*

*Quod prudentis opus? Cum possit, nolle nocere.*

*Quid stulto proprium? Non posse, et uelle nocere.*

Columnas plures implent Narrationes oppido fabulosae de *Pont. Pilato Tyri Regis Moguntinensium Filio*, de *Fl. Josepho*, et *Juda traditore*. Ex ungue leonem. *Neroni successit Anastasius*. Inte-

rim tamen *Fabulae primae Inventor verificatorem* reperit, ut dixi *Vol. I. P. 1. col. 916*. Sequuntur Versus 13. inscripti: *Ista carmina diabolus composuisse fertur*:

*Oppositum montem conscendere cernis orontem.*

*Arma tua dextra capies, et fer caput extra &c.*

Naetus est Diabolus Commentatorem asceticum, qui in extricandis his ineptiis mire se torquet.

XIII. fol. 199. p. 2. *Incipit tractatus de antiquis edificiis & mirabilibus alme urbis. & primo de muris et continentibus in eisdem.* Libellus hic in confinio Sec. XV.

et XVI. diversis modis auctus, contractus, interpolatus pluries prelo subjectus extat *Romae*, unde a Peregrinis in omnes partes ablatum est. Adscribam Versus calcis, qui in Editionibus omitti videntur. *Roma loquitur*:

*Dum simulachra mihi, dum numina uana placerent,*

*Militia, populo, menibus alta fui.*

*Ast simul effigies arasque supersticiosas*

*Ejiciens uni sum famulata Deo,*

*Cessarunt arces, cecidere palatia divum,*

*Servavit populus, degeneravit eques.*

*Vix scio, quae fueram, vix Romae Roma recordor,*

*Vix fuit occasus vel meminisse mei.*

*Gratior est iactura mihi (tamen?) successibus istis.*

*Major sum pauper divite stante ruens.*

XIV. fol. 204. *Sanctus honorius christianus ad solitarium quendam de Imagine mundi. Extat istud Opus in Bibl. PP. Lugd. T. XX. Exemplar praefens ultra Librum II. non progreditur, ceterum omnia continet, quae ad aliud hoc Vol. exhibitum Exemplar notavimus, ut Index docet. Quantum Editio Lugd. e nostris emendari queat, vel in limine disce. Malis enim septenis rivis inundato prae mundato, mox et positionem orbis prae Expositionem, tum scrutanti in scientiæ profundo prae in scientia profundo, item utriusque hominis salute prae utique hominis salute &c.*

XV. fol. 220. *Incipit alia explanatio de compoto (computo) non tamen honorij. Difficile est in magno ejusmodi Theoriarum chronologicarum numero adsignare autorem. Praefens init: Omnis ratio Compoti secundum cursum duorum planetarum. videlicet solis et lunae inuenta est ab antiquis &c. Cum Articulo De horis quibus conficitur annus finitum putem Tractatum; aliena enim sunt, quae sequuntur De Numero, De signo Crucis, De Salomone, nempe poenitente, quin et futilia, v. g. Tres dies sunt & noctes. in quibus uirilis si fuerit genitus. sine dubio corpus eius integrum manet usque in diem iudicij. hoc est. in VI. kal. febr. et in tercio idus aug. et in tercio kal. febr. Atque in hoc abrumptur clarissimus Codex, quem in Germania scriptum inter alia etiam suadet, quod in Articulo*

*De Numero habetur: Due lege faciunt rastam.*

CCXCVII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 2283  
XIV. Folior. 259. f. per duas columnas luculente et nitide exaratus, rubricis et literis initiorum picturatis distinctus, olimque Monasterij S. dorothee in vienna complectitur D. Hieronymi Libros XVIII. Commentariorum in Isaiam Prophetam. Praeit Praefatio e Divina ejus Bibliotheca, ubi Versio ni Prophetae praefixa est, huc translata: *Nemo cum prophetas uiderit uersibus esse descriptos &c. Dein: In christi nomine incipiunt explanacionum libri in esaiam prophetam. A Prologo videlicet ad Eustochium, cuius initium: Expletis uix longo tempore in XII. prophetas &c. In hoc Prologo certe rectius legitur: qui legis litteras nosse se iactant, quam Regis litteras, quod habet Vallarsii Editio T. IV. col. 4. quam contuli. Fortasse fuerit etiam melius, quod paullo infra occurrit, cum in datione sit spiritus, qui loquitur, quam in ditione; neque enim datio vocabulum Veteribus ignotum. Denique habetur maiorum omnium ingenia pro maiorum nostrorum. Non defunt tamen, in quibus Librarius noster peccavit. Ad calcem Operis accessit elegans Tabula picturata, in qua capitatim Argumenta Prophetae, et ut plurimum ratio Expositoris notatur. Unde ad Dorotheanos Canonicos peruenit*